



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Suspensionis effectibus, ejusque violatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

penfionis, nec canonica monitione, statim ob delictum prateritum suspendi ab officio, & beneficio, primo in perpetuum, & sine spe relaxationis; secundo ad tempus, puta ad triennium, vel donec satisfecerit; tertio ad beneplacitum Superioris, ita ut eo mortuo suspensio expiret; quarto ad beneplacitum Sedis, quæ nunquam moritur: Sed omnes isti modi Suspensionis non haberent rationem censuræ proprie dictæ, sed mere pœnarum spiritualium, ut notat Laym. hic ex Abbat. in cap. *Sape contingit*, num. 16. de *Appellationib.* Etenim ad rationem censuræ requiritur contumacia, atque adeo comminatio censuræ, & canonica Judicis monitio. Non negaverim tamen, quæstionem hanc esse de voce, dicendane sit censura, an non, suspensio ab officio, & beneficio, quæ mere ob delictum prateritum fertur sine prævia monitione; Nam, ut dicemus art. seq., quando violatur talis suspensio per exercitium majoris Ordinis, incurritur etiam irregularitas, dummodo in scriptis, & per modum censuræ feratur: Secus vero si superior oretenus alicui præcipiat, verbi gratia, ne celebret ob culpam aliquam prateritam; talis enim suspensio nullatenus habet rationem censuræ, sed est pura pœna vindicativa. Certum tamen est, ut notat Suar., suspensio, si minus ut censuram, saltem ut pœnam delicti ferri posse sine prævia monitione; ut constat ex cap. *Jam literas*, de *restib.*, & ex cap. *Romana*, ubi recensitis tribus censuris, Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, de sola Excommunicatione dicitur nunquam ferri posse sine monitione.

ARTICULUS IV.

De Suspensionis Effectibus, ejusque Violatione.

- I. *Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus; & probabiliter non redditur incapax alterius beneficii. Universim Suspensus privatur usque Ecclesiastica potestate.*
- II. *Violans suspensionem graviter peccat, nisi materia parvitas excuset.*
- III. *Suspensio ab ingressu Ecclesie quid ferat? Et num ea contineatur sub censura Interdicti?*
- IV. *Non possumus sine gravi culpa cum suspenso nominatim denunciato communicare in iis actibus, a quibus est suspensus.*
- V. *Irregularitas non incurritur a violante suspensionem, nisi ea violenter per exercitium Ordinis majoris. Et quinam dicantur actus Ordinis Sacri?*
- VI. *Actus jurisdictionis exerciti a suspenso nominatim denunciato sunt invalidi.*

I. **C**ertum est, Suspensionis effectus esse dumtaxat Privationem usus Ecclesiasticæ potestatis, seu officii, & beneficii, vel totaliter, vel partialiter, prout art. i. explicavimus. Quare suspensio non privat beneficio jam habito, sed tantum ejus fructibus; ac proinde tenetur Beneficiarius suspensus & officium recitare, & reliquis oneribus beneficii satisfacere; cum suspensio puniat, non relevet. Utrum autem suspensus reddatur inhabilis ad novum beneficium suscipiendum? Communis affirmant; sed probabiliter negatur a Suar. disp. 27. lect. 1., Pal., Laym., Con.; quia beneficii collationem suspensio ipso jure irritari ex nullo textu colligitur, et.

etiamsi verum sit, quod per Judicem irritari possit.

II. Quæritur nunc primo; An violans suspensionem graviter peccet?

Respondeo cum communi apud Suar. disp. 27. sect. 2., quod Suspendus ex suo genere mortaliter peccet exercendo actum, a quo est suspendus; quandoquidem violat præceptum Ecclesiasticum in re gravi; Aliquando tamen parvitas materiæ excusat a mortali; ut si quis suspendus ab ingressu Ecclesiæ parvo tempore in ea commoretur, dum recitantur divina officia; aut si suspendus ab Ordine aliquod exercitium Ordinum minorum præstet.

III. Rogabis hic; Quid significet aliquem esse suspendum ab ingressu Ecclesiæ?

Respondeo cum communi apud Escob., significare, quod prohibeatur illi celebrare in Ecclesia, divinis officii interesse, & in ea sepeliri, nisi prius dederit signa pœnitentiæ, & fuerit absolutus: Non prohibetur tamen in Ecclesia orare, & Sacramenta recipere, nec jurisdictionem exercere; Immo licitum est sic suspendo celebrare extra Ecclesiam, hoc est in loco non designato per Episcopum in perpetuum ad celebrandum, puta in Oratoriis privatis, ut docent Escob., & Laym. de Interdicto cap. 1.

Notandum tamen, aliquos cum Suar. docere, quod prohibitio ab ingressu Ecclesiæ contineatur sub censura Interdicti; Communior tamen sententia cum Sà docet esse speciem suspensionis; quod tamen examinabimus, cum de Interdicto art. 2.

IV. Quæritur secundo; An peccet graviter, qui cooperatur, & communicat cum suspendo in iis actibus, a quibus est suspendus?

Respondeo cum communi affirmative, si suspendus sit denunciatus; secus vero si non sit denunciatus; Nam

a Concil. Constantiensi, & a Martino V. in Extravag. *Ad vitanda* conceditur facultas communicandi tam cum excommunicatis, quam etiam cum suspendis nondum denunciatis; unde possumus licite petere administrationem Sacramenti ab Excommunicato tolerato, necnon a suspendo ab officio, si non sit denunciatus; & hic potest Sacramenta licite administrare peccati, modo cum debita dispositione administret; Quamvis non possit ipse non rogatus se ingerere, ut fuisse diximus, cum de excommunicatione art. 2. cum Pal., & aliis contra Avil., Sylvest. Non possumus tamen ab eodem petere sine ulla necessitate, ut celebret; quandoquidem sine culpa celebrare non potest, antequam absolvatur sacramentaliter a mortalibus, & consequenter antequam absolvatur a censuris, ut ibidem etiam notavimus.

V. Quæritur tertio; An violans suspensionem irregularitatem incurrat?

Respondeo, non incurri irregularitatem per quamcumque violationem suspensionis; sed solum incurri a violante suspensionem, aut aliam censuram per exercitium Ordinis Sacri, seu majoris; Quare fit irregularis, qui suspendus ab Ordine missam celebrat, sacramentaliter absolvit, baptizat solemniter, Ordines confert, &c. Epistolam, aut Evangelium solemniter canit, ut habetur in cap. 1. de Sententia, & re judicata in 6., & in Extravag. Pii 11. *Cum ex Sacramentorum*: Econtra non incurrit irregularitatem, qui suspendus a jurisdictione illam exercet; cum hujusmodi irregularitas, seu pœna non sit in jure expressa; Nec qui suspendus ab Ordinibus minoribus actus illorum solemniter exercet; cum isti actus fieri possint etiam a laicis, ut docet Bonac. ex Sayr. contra Suar. & Filliuc. Nec qui suspendus ab Ordinibus majoribus actus

actus illorum exercet non solemniter, verbi gratia, canendo Epistolam absolute manipulo; tunc enim non censetur canere ex officio, ut communiter Doctores docent; Nec demum concionando etiam cum superpellece; quia hoc non est ita munus Diaconi, ut non possit a laicis exerceri de licentia Episcopi, ut communiter etiam Doctores contra Navar. & Valent.

Notandum tamen hic ex Bonac., Filiuc., Escob., & Suar. disp. 26. quæst. 2., irregularitatem incurri non solum, quando per exercitium Ordinis majoris violatur suspensio perpetua, quæ est proprie censura, sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura pœna, & lata ad tempus determinatum; ut si dicatur, Sis suspensus, donec satisfacias, ex cap. 1. de re iudicata, & de sententia excommunicat. in 6. Ratio ex Suar. est, quia utraque suspensio privat sacro ministerio; & ideo per violationem utriusque irregularitas incurritur. Id tamen intelligendum de suspensione pœnali, quæ in scriptis per modum censure imponitur; non vero de præcepto oretenus factò, ne quis celebret; etiam si illi dicatur, Ego te suspendo a celebratione missæ. Notandum etiam, quod suspensus non denunciatus nominatim irregularitatem non incurrat, si ad petitionem fidelium exerceat actus Ordinis Sacri; tunc enim licite eos exercet, & ideo nullam pœnam incurrit.

¶ VI. Quæritur demum, Sintne validi actus jurisdictionis præstiti a Suspenso?

Respondeo, esse invalidos, nisi adfit error communis, & titulus coloratus, ut alias diximus, supplente tunc Ecclesia defectum jurisdictionis in bonum commune, ex leg. Barbarius. Ita Doct. communiter. Ubi duo notanda sunt; Primum est, Ecclesiam

annullare ea tantum, quæ ab ipsa dependent; Quare suspensus valide celebrabit, cum consecratio non dependeat ab Ecclesia: Contra vero invalide sacramentaliter absolvet, quia ad absolutionem sacramentalem requiritur, præter Ordinem, jurisdictione, quæ ab Ecclesia confertur, & suspensus denegatur; Secundum est, acta per suspensum a jurisdictione, non denunciatum nominatim, sicuti etiam acta per excommunicatum toleratum, esse valida, prout annotavimus quæst. 3. art. 5. Quinimmo sic suspensus, aut excommunicatus licite potest actus jurisdictionis exercere, si non se ingerat, sed rogetur: secus vero peccabit mortaliter.

ARTICULUS V.

De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.

- I. Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis labitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissexium?
- II. Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisfeceris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisfecerit.
- III. Quandonam possit Episcopus, & Privilegiarii absolvere a suspensione Papa reservata?
- IV. Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessarius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicatione non reservata.
- V. Suspensio, quæ sit pura pœna, est reservata instigenti illam. Num possit ab Episcopo relaxari post per-